

ipsorum ditionem tutam ab se atque tectam velit esse. Ab legatis quærenti regi quam id ratione vellent fieri, quodve septum suis finibus aut propugnaculum exposcerent: responderunt, si Cremonam oppidum reipublicæ concesserit, cum eo agro finibusque omnibus, qui citra flumen Abduam sint, tutos se fore existimatos. Tum rex concessurum quidem se reipublicæ eam, quam peterent ex Ludovici regno partem, recepit; quam quidem sciret esse totius regni optimam atque opulentissimam, Lecco tantummodo excepto, de quo nulli cedere statuerat: (id est municipium in læva Abduæ e lacu Lario exeuntis ripa) petere autem & ipsum pro iis rebus ab reipublica equites in id bellum septies mille, milites sex mille, auri libras mille: ea sibi datum iri si polliceantur, fœdus se cum illis initurum. His intellectis regis postulatis, Senatus legatis rescripsit, se se milites equitesque, quot rex peteret, in commune adducturos: de pecunia nihil polliceri; cum propterea quod tribus gerendis nullo interjecto temporis spatio bellis, Gallico, Neapolitano, Pisano, grandem pecuniam insumpissent: tum etiam quia in id, quod ab Turcarum rege in præsentia bellum reipublicæ immineat; cujus rei fama certioribus in dies nunciis jam percrebruerat; ad classem comparandam satis superque civitas muneris atque oneris esset habitura. Ea rex cum intellexisset, in alium diem re dilata, ubi ea dies venit, pecuniam nisi dent, nihil se de fœdere acturum legatis renunciavit. Id ea causa fiebat, quod erant nonnulli magna apud illum Galli homines auctoritate, qui Ludovici rebus favebant: ii cum palam regi obsistere, ne bellum susciperet, non auderent, existimarent autem Venetos ad conditionem dandæ regi pecuniæ non descensuros, in eo illum ut perseveraret, hortabantur. nonnulli etiam fingi a Venetis, quæ de rege Thracio nunciarent, dicebant. Accidit autem, ut dum hæc agerentur, literæ ab Rhodiorum magistratu ad regem venerint, quibus rex literis certior fiebat, Bajasetem classem ingentem comparare, atque in ea cura dies